

tractandarum lete offerat. *Demum* communis lex est, ut exordia neq; sint aliena, vel longius petita, neque vicissim sumta ab ipsa re vel causa, sed ab ijs, quæ causam circumstant, & cognationem aliquam cum ipsa habent. *Tertio* breuitati est studendum in exordijs, ut duarum, aut trium, vel ad summum quatuor periodorum ambitu, quatenus quidem id commode fieri potest, claudantur. Ita videmus Apostolos breuissimis vsos fuisse exordijs. *Quarto* exordia debent esse verecunda, humilia, sedata & submissa, non pomposa aut nimis elaborata, vel sonora & vocalia. Nam *modestus* conueniunt contentioni & perorationi, *modestus* exordio. Hæc enim res, ut modestiæ est, ita gratiam & benevolentiam Ecclesiæ meretur. Idque in Apostolorum sermonibus passim apparet. Vide nominatim *1. Corinth. 1. vers. 10. & cap. 11. vers. 2.* Cæterum in rebus deploratis & prodigiose malis, rerumque statu tragico, vehementiora, concitata & abrupta exordia locum habent: ut quando Moses *Deut. 32. vers. 1.* & Esaias *cap. 1. vers. 4.* per *καθ' ὅσον ποποίειν* vehementissimam exordiuntur conciones suas. Simile exordij genus adhibet Apostolus *1. Cor. 4. v. 21.*

Loca exordiorum.

I V. Tot sunt loca exordiorum, quot sunt loca inuentionis.

Vulgo tradunt quinque locos exordij. *Primo* sumuntur exordia ab ἀνακεφαλαιώσεσιν, seu recapitulatione superioris concionis. *Secundo* exordium sumitur à summa priorum seu antecedentium: ut enarraturus ex *Roman. 5. vers. 1.* dictum illud: *Justificati ex fide pacem habemus, &c.* non inconuenienter ita exordietur: *Dictum hoc pertinet ad secundam hujus epistolæ partem, quæ de justificatione agit. Postquam enim Apostolus in prima parte ostendit gentes & Iudeos, omnesque adeo homines, peccatores esse: in secunda parte docet hominem nequaquam ex operibus legis, sed sola fide in Christum justificari: hancque doctrinam, exemplo Abrahe, testimonio Davidis, aliisque argumentis ex Scriptura deductis confirmat. In prælectis vero verbis hanc justificationis doctrinam uberius persequitur, & effecta quadam ipsius exponit.* *Tertio* exordia ducuntur ab occasione & causa impulsiva. Quæ ordiendi ratio in concionibus nuptialibus, funebribus, pœnitentialibus, & similibus textibus ordinarijs est vltimatissima. Sic in textibus Dominicalibus, quos vocant, exordium sumitur ab occasione, quando indicatur, quo consilio veteres præsentem textum Evangelicum illi anni tempore destinarent. *Quarto* exordium sumitur à translatione thesæos ad hypothesin, qua fit ut exordiamur à sententia generali, puta à Scripturæ dicto, atq; ita viam sternamus ad propositionem. Hic vero providere oportet, ne thesîs ab instituto sit aliena, vel longe petita, vel affectata, vel ad alienum sensum detorta: sed ut habeat cognationem cū causa, & adeo sit
natiua,